



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi**

**Spina, Claudius de**

**Parisiis, 1551**

20. de statu naturæ per Adam ante peccatum propagandæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38840**

C A P. Secundum. Si Adam non  
*usus fuisset ligno vitæ, mor-  
 tuus fuisset.*

**P**ropter hoc aliqui dicunt, quòd nisi illo  
 ligno vitæ vteretur, non semper viueret,  
 quia peccaret, cum præceptum erat ei vt  
 comederet de omni ligno paradisi, nisi de  
 ligno scientiæ boni & mali. Si ergo pecca-  
 uit comedendo quod erat prohibitum, ita  
 etiam peccaret si non comederet quod erat  
 iustum.

*fol. 114. a. p. 20.*

Vnde aliqui dicunt, quod si non fuisset ei  
 præceptum vesci illo ligno & aliis, & non  
 illo vesceretur, viueret semper. Aliis au-  
 tem videtur, quòd ex ligno vitæ erat ei pos-  
 se non mori, non ex natura. ideo enim dici-  
 tur posse non mori, quia poterat vti illo li-  
 gno, de quo edens non moreretur.

DE STATV NATVRÆ  
 per Adam ante peccatum  
 propagandæ.

D I S T I N C T. Vigesima  
 C A P. Primum.

*Ante peccatum, sine concupiscentia  
 commixtio carnalis fuisset.*

*De conser-  
 uatione na-  
 turæ huma-  
 næ per na-*

**Q**uidam putarunt ad gignendos fi-  
 lios, primos homines in paradiso *turalem ge-  
 nerationem*  
 misceri nequaquam potuisse, nisi *in natura*  
 post peccatum: dicentes concubitus sine integra.

E P I T O M E

corruptione vel macula non posse fieri. Sed dicendum quòd si non peccassent primi homines, sine omni peccato & macula in paradiso, carnali copula conuenissent. vnde August. Cur non credamus primos homines ante peccatum genitalibus membris ad procreationem imperare potuisse, sicut cæteris in quolibet opere sine voluptatis pruritu vtimur? & c. Emisi quidem de paradiso, conuenerunt & genuerunt, sed potuerunt in paradiso eis esse nuptiæ honorabiles, & thorus immaculatus, sine ardore libidinis, sine labore pariendi.

H. b. 13.

*Quæstio, Cur in paradiso non coierunt?*

Quia creata muliere mox transgressio facta est, & eiectione sunt de paradiso: vel quia nondum Deus iusserat vt coierent. & poterat diuina expectari authoritas, vbi concupiscentia non angebat. Deus verò iusserat: quia casum eorum præsciebat, de quibus homo propagandus erat.

fol. 74. a.

C A P. Secundum. Incertum ex scriptura an natis filiis mox parentes ad celestem vitam, an simul cum filiis impleto numero transissent.

**D**E termino verò temporis quo transferrentur parentes ad spiritualem celestemque vitam, certum aliquid scri-

lib. 9.  
cap. 6.

Super  
gene.  
lib. 8.

cap. 10.

cap. 3.

Aug.  
cap. 4.

de ba  
paru  
lorum  
cap. 3

lib. 9. ptura non tradit. de quo August. ambigūe  
 cap. 6. differit super Gen. ita inquit: Potuerunt  
 primi homines in paradiso filios gignere:  
 non vt morientibus patribus succederent  
 filij, sed in aliquo ferme statu manentibus,  
 & de ligno vite vigorem fumentibus, & filij *fol. 114. a*  
 ad eundem perducerentur statum, donec  
 impleto numero sine morte animalium cor-  
 pora in aliam qualitatem transirent, in qua  
 omnino regenti spiritui deseruirent, & so-  
 lo spiritu viuificantur sine corporeis alimen-  
 tis viuerent. Vel potuerunt parentes filiis  
 cedere, vt per successionem numerus imple-  
 retur, qui genitis filiis perfectaque humani  
 officij iustitia, ad meliora transferrētur, non  
 per mortem, sed per aliquam mutationem.

CA P. Tertium. Filij mox nati, corpo-  
 re parui, & membrorum impoten-  
 tes, & alimento indigen-  
 tes fuissent.

de bap. S Vper hoc August. ambigūe loquitur,  
 paruu- Mouet nos (ait) si primi homines non  
 lorum. peccassent, vtrum tales filios essent ha-  
 cap. 33. bituri, qui nec lingua, nec manibus, nec pe-  
 dibus vterentur. Nam propter vteri neces-  
 sitatem fortè necesse erat paruulos nasci. sed  
 quamuis exigua pars corporis sit costa, non  
 tamen propter hoc paruulam viro cōiugem  
 fecit. Vnde & eius filios poterat omnipo-

rentia creatoris mox natos grandes facere: sed (vt hoc omittam) poterat rectè eis præstare, quod multis animalibus præstitit, quorum pulli quamuis sint paruuli, tamen mox vt nascuntur, & currunt, & matrem sequuntur. Contrà, homini nato nec ad incessum pedes idonei sunt, nec manus saltè ad scalpendum habiles, & iuxta se mammis positis nascètes, magis possunt esuriètes flere, quàm suggere, proprièque infirmitati mentis congruit hæc infirmitas carnis. sed cum August. sub assertione de his nihil tradat, non irrationabiliter quibusdam placuit primorum parètum filios nascituros, paruos, ac deinde per interualla temporum, eadem lege qua & nunc, natiuitatem humanam cernimus, staturæ incrementum & membrorum vsum recepturos: vt in illis expectaretur ætas ad ambulandum & loquendum, sicut modo in nobis. quod vtique non esset vitio imputandum, sed conditioni naturæ. sicut à cibo penitus abstinere non valebant, nec tamen illud erat ex vitio, sed ex natura conditionis.

C A P. *Quartum. Erat illis cibus vtendum ad alimomiam corporis, aliàs peccassent.*

**P** Utant quidam eos cibus non indignisse ante peccatū, quia non poterant esurire si non peccassent. Ad quod dici potest,

quòd fames verè defectus est, & pœna peccati. Est enim immoderatus appetitus edēdi, cui non subiacuisset homo, si non peccasset: sed proculdubio peccaret, nisi hunc defectum cibo præueniret. Habebat enim naturalem appetitum & moderatum, cui ita satisfaciendum erat, ne defectum famis sentiret. Sicut ergo non ex vitio, sed ex naturæ conditione erat, quòd ante peccatum homo cibis indigebat: ita non ex vitio esset, sed de natura, si hominis conditio in principio suo, id est in primo parente, à perfectò inchoata, in subsequenti propagatione à modico 'ad maiora proficeret: vt scil. per interualla temporis staturæ corporeæ incrementa vsuq; membrorum susciperet.

*C A P. Quintum. Filij mox nati, vt corpore paruuli erant, ita sensu & intelligentia imperfecti.*

**I**lli qui sentiunt paruulos natos in statura corporis & vsu membrorum, per accessum temporis profecturos, non diffidentur eosdem in exordio natiuitatis sensu imperfectos existere, & per interuallum temporis in sensu & cognitione proficere, vsque ad perfectum. Ad quòd quidam opponunt, ita proponentes: Si mox vt ipsi nati sunt, non haberent perfectionem sensus, quoque intelligentiæ ignorantia in

Quid igno-  
rantia.

eis esset: Ignorantia autem peccati est pœ-  
na. Sed qui hoc dicunt, non satis diligenter  
considerât, quia non omnis qui aliquid ne-  
scit, vel minus perfectè aliquid scit, statim in  
ignorantia esse dicendus est: quia ignoran-  
tia non dicitur, nisi cùm id quod sciri & non  
ignorari debet, nescitur. Talisque igno-  
rantia pœna peccati est, cùm inens vitio ob-  
scuratur, ne cognoscere valeat ea quæ sci-  
re deberet.

C A P. Sextum. *Ad meliorem statum  
deinde transisset primus homo cum  
vniuersa posteritate.*

**D**E hoc autem statu transferendus erat  
cum vniuersa posteritate sua ad me-  
liorem digniorèmq; statum, vbi cœ-  
lesti & eterno bono in cœlo sibi parato frue-  
retur. Sicut enim ex duplici natura com-  
pactus est homo: ita illi duo bona conditor  
à principio præparauit. Vnum temporale,  
alterum æternum: Vnum visibile, alterum  
inuisibile: Vnum carni, alterum spiritui. Et  
quia primum est quod est animale, deinde  
quod est spirituale: temporale ac visibile bo-  
num prius dedit, inuisibile autè & æternum  
promisit, & meritis quærendum proposuit.  
Ad illius autem custodiam quod dederat, &  
ad aliud promerendum quod promiserat,  
naturali ratione in creatione animæ homi-  
i. co. 17

nis inditæ, qua poterat inter bonum & malum discernere, præceptum addidit obedientiæ: per cuius obseruantiam datum non perderet, & promissum obtineret, vt per meritum veniret ad præmium.

DE LAPSV PRIMI  
Hominis.

DISTINCT. Vigesima primæ  
CAP. Primum.

*Demon prius Euam tentauit solitariam.*

Videns igitur Diabolus hominem per obedientiæ humilitatem posse ascendere, vnde ipse per superbiam corruerat, inuidit ei. & quoniã prius per superbiam Diabolus fuerat, id est deorsum lapsus, & zelo inuidiæ factus est Sathan, id est aduersarius. Vnde & mulierem tentauit, in qua minus quàm in viro, rationem vigere no- uit. Eius enim malitia ad tentandam virtutem timida, humanam naturam in ea parte vbi debilior videbatur, aggressa est: vt si fortè illic aliquatenus præualeret, postmodum fiducialius ad alteram quæ robustior fuit, pulsandam, vel potius subuertendam, accederet. Primum ergo solitariam fœminam explorauit, vt in ea primum omnem suę tentationis vim experiretur.

q